Vnde dempto hoc uno fulgur nominis romani:
quid est: quod illi uobis comparandi sint: ut
uiginti annorum milicia uestras cum illa uirtute:
cum illa fortuna taceam. ab Herculis colum-
nis: ab oceano: terminisque ultimis terrarum.
per tot ferocissimos hispanie: et Gallie populos
uincentes huc peruenistis. pugnabitis cum exer-
citu tyrone ac ipsa estate ceso: uicto: circum
sesso a gallis: ignoto adhuc duci suo igno-
rantique ducem. An me in pretorio patris clarissimi
imperatoris prope natum certe educatum domi-
torem Hispanie: Gallieque uictorem eundem non
alpinarum modo gentium: ipsarum quod multo
maius est: alpium: cum semestri hoc conferam duce
desertore exercitus sui. Cui si quis: demptis
signis: penos romanosque hodie ostendat: ignoraturum
certum habeo utrius exercitus sit con-
sul. Non ego illud parui estimo milites: quod
nemo uestrum est: cuius non ante oculos ipse sepe
militare aliquod ediderim facinus: cui non idem
ego uirtutis spectator: ac testis notata temporibus
locisque referre sua possim decora. Tum lauda-
tis me milites donatis: alumnus prius omnium
uestrum: quam imperator procedam acie aduersus
ignotos inter se: ignorantesque. Quocunque circum-